

25TH LATIN SUMMER SCHOOL

14th-18th JANUARY 2019

Eastern Avenue Building, University of Sydney

LEVEL 2C

**Instructors: Damaris Wikramanayake
and Argyris Giantsis**



Reading Schedule

Monday	Session 1	Introduction & Catullus 85 Catullus 87	Lines 1-2 Lines 1-4
	Session 2	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 1	Chapters 31 & 32
	Session 4	Ovid’s Tragi-Rom-Com – Passage 1	Lines 758- 769
Tuesday	Session 1	Ovid’s Tragi-Rom-Com – Passage 2	Lines 821-824, 838-853
	Session 2	Ovid’s Tragi-Rom-Com – Passage 3	Lines 854-875
	Session 4	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 2	Chapters 33 & 34
Wednesday	Session 1	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 3	Chapters 35 & 36
	Session 2	Catullus 5 Catullus 7	Lines 1-13 Lines 1-12
	Session 4	Ovid: Diana the Avenger – Passage 1	Lines 177-191
Thursday	Session 1	Ovid: Diana the Avenger – Passage 2	Lines 192-205
	Session 2	Ovid: Diana the Avenger – Passage 3	Lines 225-252
	Session 4	Cicero <i>Pro Caelio</i> – Part 4 Catullus 8	Chapter 38 Lines 1-19
Friday	Session 1	Catullus 11	Lines 1-24
	Session 2	Conclusion (see note below)	

Note on Friday: There are no prescribed texts for Session 2 on Friday. This session is reserved for spillover texts, addressing any remaining grammar questions, and extra activities if time allows.

Catullus in love

LXXXV.

Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris.
nescio, sed fieri sentio et excrucior.

LXXXVII. ad Lesbiam

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
vere, quantum a me Lesbia amata mea est.
nulla fides ullo fuit umquam foedere tanta,
quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

Cicero *Pro Caelio*

Chapter 31

Horum duorum criminum video auctorem, video fontem, video certum nomen et caput. Auro opus fuit; sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste, habuit quamdiu voluit. Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis. Necare eandem voluit; quaesivit venenum, sollicitavit servos, potionem paravit, locum constituit, clam attulit. Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio exstitisse. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili verum etiam nota; de qua ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa.

5

Chapter 32

Sed intellegis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis. Quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit, so petulanter facimus, si matrem familias secus quam matronarum sanctitas postulat nominamus. Sin ista muliere remota nec crimen ullum nec opes ad oppugnandum M. Caelium illis relinquuntur, quid est aliud quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos qui insectantur repellamus? Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro fratrem volui dicere; semper hic erro. Nunc agam modice nec longius progrediar quam me mea fides et causa ipsa coget: nec enim muliebris umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim cum ea quam omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt.

5

10

Ovid's Tragi-Rom-Com: Polyphemus and Galatea

Ovid's Metamorphoses XIII

Passage 1

The sea-nymph Galatea tells of the unwanted pursuit of the Cyclops Polyphemus, a man-eating giant, though she already loves and is loved in returned by the human shepherd Acis

pro, quanta potentia regni
est, Venus alma, tui! nempe ille inmitis et ipsis
horrendus silvis et visus ab hospite nullo 760
inpune et magni cum dis contemptor Olympi,
quid sit amor, sentit validaque cupidine captus
uritur oblitus pecorum antrorumque suorum.
iamque tibi formae, iamque est tibi cura placendi,
iam rigidos pectis rastris, Polypheme, capillos, 765
iam libet hirsutam tibi falce recidere barbam
et spectare feros in aqua et componere vultus.
caedis amor feritasque sitisque immensa cruoris
cessant, et tutae veniuntque abeuntque carinae.

Passage 2

Polyphemus attempts to woo Galatea with a shepherd's song filled with flattery

*'Galatea, whiter than the snowy privet petals,
taller than slim alder, more flowery than the meadows,
friskier than a tender kid, more radiant than crystal,
smoother than shells, polished, by the endless tides;
more welcome than the summer shade, or the sun in winter,
showier than the tall plane-tree, fleeter than the hind;
more than ice sparkling, sweeter than grapes ripening,
softer than the swan's-down, or the milk when curdled,
lovelier, if you did not flee, than a watered garden.
Galatea, likewise, wilder than an untamed heifer,
harder than an ancient oak, trickier than the sea;
tougher than the willow-twigs, or the white vine branches,
firmer than these cliffs, more turbulent than a river,
vainer than the vaunted peacock, fiercer than the fire;
more truculent than a pregnant bear, pricklier than thistles,
deafier than the waters, crueller than a trodden snake;
and, what I wish I could alter in you, most of all, is this:
that you are swifter than the deer, driven by loud barking,
swifter even than the winds, and the passing breeze.*

He then tries to entice her with the fruits of the forest he can offer her, and the size of his herd

"Hoc pecus omne meum est, multae quoque vallibus errant, 821
multas silva tegit, multae stabulantur in antris,
nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint:
pauperis est numerare pecus;

"Iam modo caeruleo nitidum caput exere ponto,
iam, Galatea, veni, nec munera despice nostra!
certe ego me novi liquidaeque in imagine vidi 840
nuper aquae, placuitque mihi mea forma videnti.
adspice, sim quantus: non est hoc corpore maior
Iuppiter in caelo, nam vos narrare soletis
nescio quem regnare Iovem; coma plurima torvos
prominet in vultus, umerosque, ut lucus, obumbrat; 845
nec mea quod rigidis horrent densissima saetis
corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbor,
turpis equus, nisi colla iubae flaventia velent;
pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est:
barba viros hirtaeque decent in corpore saetae. 850
unum est in media lumen mihi fronte, sed instar
ingentis clipei. quid? non haec omnia magnus
Sol videt e caelo? Soli tamen unicus orbis.

Passage 3

What else might sway Galatea's heart? Why, the knowledge that Neptune will be her father-in-law! And reproaches and accounts of his overwhelming heartache and further recriminations...

"Adde, quod in vestro genitor meus aequare regnat:
hunc tibi do socerum; tantum miserere precesque 855
supplicis exaudi! tibi enim succumbimus uni,
quique Iovem et caelum sperno et penetrabile fulmen,
Nerei, te vereor, tua fulmine saevior ira est.
atque ego contemptus essem patientior huius,
si fugeres omnes; sed cur Cyclope repulso 860
Acin amas praefersque meis complexibus Acin?
uror enim, laesusque exaestuat acrius ignis,
cumque suis videor translatam viribus Aetnam
pectore ferre meo, nec tu, Galatea, moveris."
"Talia nequiquam questus (nam cuncta videbam) 870
surgit et ut taurus vacca furibundus adempta
stare nequit silvaeque et notis saltibus errat,
cum ferus ignaros nec quicquam tale timentes
me videt atque Acin "video" que exclamat "et ista
ultima sit, faciam, Veneris concordia vestrae." 875

Polyphemus has happened upon Acis and Galatea; she escapes into the nearby waters, but Acis is unable to avoid the rock Polyphemus hurls at him. He dies, but Galatea is able to transform his spirit into the sea-god of the Sicilian river, Acis.

Cicero *Pro Caelio*

Chapter 33

Sed tamen ex ipsa quaeram prius utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit, an remisse et leniter et urbane. Si illo austero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula qua ista delectatur sed illa horrida quam in statuis antiquis atque imaginibus videmus, qui obiurget mulierem et qui pro me loquatur ne mihi ista forte suscenseat. Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Caecus ille; minimum enim dolorem capiet qui istam non videbit. Qui profecto, si exstiterit, sic aget ac sic loquetur: 'Mulier, quid tibi cum Caelio, quid cum homine adulescentulo, quid cum alieno ? Cur aut tam familiaris fuisti ut aurum commodares, aut tam inimica ut venenum timeres ? Non patrem tuum videras, non patruum, non avum, non proavum, non abavum, non atavum audieras consules fuisse;

Chapter 34

non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi ac fortissimi viri patriaeque amantissimi, qui simul ac pedem limine extulerat, omnis prope civis virtute, gloria, dignitate superabat ? Cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit ? cognatus, adfinis, viri tui familiaris? Nihil eorum. Quid igitur fuit nisi quaedam temeritas ac libido ? Nonne te, si nostrae imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat, non virgo illa Vestalis Claudia quae patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebei de curru detrahi passa non est? Cur te fraterna vitia potius quam bona paterna et avita et usque a nobis cum in viris tum etiam in feminis repetita moverunt ? Ideone ego pacem Pyrrhi diremi ut tu amorum turpissimorum cotidie foedera ferires, ideo aquam adduxi ut ea tu inceste uterere, ideo viam munivi ut eam tu alienis viris comitata celebrares ?'

Chapter 35

Sed quid ego, iudices, ita gravem personam induxi ut verear ne se idem Appius repente convertat et Caelium accusare illa sua gravitate censoria ? Sed videro hoc posterius atque ita, iudices, ut vel severissimis disceptatoribus M. Caeli vitam me probaturum esse confidam. Tu vero, mulieróiam enim ipse tecum nulla persona
5
introducta loquorósi ea quae facis, quae dicis, quae insimulas, quae moliris, quae arguis, probare cogitas, rationem tantae familiaritatis, tantae consuetudinis, tantae coniunctionis reddas atque exponas necesse est. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baias, actas, convivias, comissationes, cantus, symphonias, navigia
10
iactant, idemque significant nihil se te invita dicere. Quae tu quoniam mente nescio qua effrenata atque praecipiti in forum deferri iudiciumque voluisti, aut diluas oportet ac falsa esse doceas aut nihil neque crimini tuo neque testimonio credendum esse fateare.

Chapter 36

Sin autem urbanus me agere mavis, sic agam tecum. Removebo illum senem durum ac paene agrestem; ex his igitur sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem qui est in isto genere urbanissimus; qui te amat plurimum, qui propter nescio quam, credo, timiditatem et nocturnos quosdam inanis metus tecum semper pusio cum maiore
5
sorore cubitabat. Eum putato tecum loqui: ' Quid tumultuaris, soror? quid insanis ?

Quid clamorem exorsa verbis parvam rem magnam facis ?
10

Vicinum adolescentulum aspexisti; candor huius te et proceritas, voltus oculique pepulerunt; saepius videre voluisti; fuisti non numquam in isdem hortis; vis nobilis mulier illum filium familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis devinctum. Non potes; calcitrat, respuit, repellit, non putat tua dona esse tanti. Confer te alio. Habes hortos
15
ad Tiberim ac diligenter eo loco paratos quo omnis iuventus natandi causa venit; hinc licet condiciones cotidie legas; cur huic qui te spernit molesta es ?

Catullus in love

V. ad Lesbiam

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis!
soles occidere et redire possunt:
nobis cum semel occidit brevis lux, 5
nox est perpetua una dormienda.
da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
dein, cum milia multa fecerimus, 10
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut ne quis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.

VII. ad Lesbiam

Quaeris, quot mihi basiationes
tuae, Lesbia, sint satis superque.
quam magnus numerus Libyssae harenae
lasarpiciferis iacet Cyrenis
oraclum Iovis inter aestuosi 5
et Batti veteris sacrum sepulcrum;
aut quam sidera multa, cum tacet nox,
furtivos hominum vident amores:
tam te basia multa basiare
vesano satis et super Catullo est, 10
quae nec pernumerare curiosi
possint nec mala fascinare lingua.

Diana the Avenger: the death of Actaeon

Ovid's Metamorphoses III

Passage 1

By chance Actaeon sees the goddess Diana bathing with her nymphs. They surround her in a protective huddle, yet cannot shield her modesty. Diana assumes the pose of the huntress.

qui simul intravit rorantia fontibus antra,
sicut erant, nudae viso sua pectora nymphae
percussere viro subitisque ululatibus omne
inplevere nemus circumfusaeque Dianam 180
corporibus texere suis; tamen altior illis
ipsa dea est colloque tenus supereminet omnis.
qui color infectis adversi solis ab ictu
nubibus esse solet aut purpureae Aurorae,
is fuit in vultu visae sine veste Dianae. 185
quae, quamquam comitum turba est stipata suarum,
in latus obliquum tamen adstitit oraque retro
flexit et, ut vellet promptas habuisse sagittas,
quas habuit sic hausit aquas vultumque virilem
perfudit spargensque comas ultricibus undis 190
addidit haec cladis praenuntia verba futurae:

Passage 2

Actaeon is made to take on the form of the hunted.

'nunc tibi me posito visam velamine narres,
si poteris narrare, licet!' nec plura minata
dat sparso capiti vivacis cornua cervi,
dat spatium collo summasque cacuminat aures 195
cum pedibusque manus, cum longis bracchia mutat
cruribus et velat maculoso vellere corpus;
additus et pavor est: fugit Autonoeius heros
et se tam celerem cursu miratur in ipso.
ut vero vultus et cornua vidit in unda, 200
'me miserum!' dicturus erat: vox nulla secuta est!
ingemuit: vox illa fuit, lacrimaeque per ora
non sua fluxerunt; mens tantum pristina mansit.
quid faciat? repetatne domum et regalia tecta
an lateat silvis? pudor hoc, timor inpedit illud. 205

Passage 3

Actaeon's dogs have caught sight of him

ea turba cupidine praedae 225
per rupes scopulosque adituque carentia saxa,
quaque est difficilis quaque est via nulla, sequuntur.
ille fugit per quae fuerat loca saepe secutus,
heu! famulos fugit ipse suos. clamare libebat:
'Actaeon ego sum: dominum cognoscite vestrum!' 230
verba animo desunt; resonat latratibus aether.
prima Melanchaetes in tergo vulnera fecit,
proxima Theridamas, Oresitrophos haesit in armo:
tardius exierant, sed per compendia montis
anticipata via est; dominum retinentibus illis, 235
cetera turba coit confertque in corpore dentes.
iam loca vulneribus desunt; gemit ille sonumque,
etsi non hominis, quem non tamen edere possit
cervus, habet maestisque replet iuga nota querellis
et genibus pronis supplex similisque roganti 240
circumfert tacitos tamquam sua bracchia vultus.
at comites rapidum solitis hortatibus agmen
ignari instigant oculisque Actaeona quaerunt
et velut absentem certatim Actaeona clamant
(ad nomen caput ille refert) et abesse queruntur 245
nec capere oblatae segnem spectacula praedae.
vellet abesse quidem, sed adest; velletque videre,
non etiam sentire canum fera facta suorum.
undique circumstant, mersisque in corpore rostris
dilacerant falsi dominum sub imagine cervi, 250
nec nisi finita per plurima vulnera vita
ira pharetratae fertur satiata Dianae.

Cicero *Pro Caelio*

Chapter 38

...

Caeli causa est expeditissima. Quid enim esset in quo se non facile defenderet ? Nihil iam in istam mulierem dico; sed, si esset aliqua dissimilis istius quae se omnibus pervolgaret, quae haberet palam decretum semper aliquem, cuius in hortos, domum, Baias iure suo libidines omnium commearent, quae etiam aleret adolescentis et parsimoniam patrum suis sumptibus sustineret; si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret, adulterum ego putarem si quis hanc paulo liberius salutasset ?

5

Catullus in love

VIII. ad se ipsum

Miser Catulle, desinas ineptire,
et quod vides perisse perditum ducas.
fulsere quondam candidi tibi soles,
cum ventitabas quo puella ducebat
amata nobis quantum amabitur nulla. 5
ibi illa multa cum iocosa fiebant,
quae tu volebas nec puella nolebat,
fulsere vere candidi tibi soles.
nunc iam illa non vult: tu quoque impotens noli,
nec quae fugit sectare, nec miser vive, 10
sed obstinata mente perfer, obdura.
vale puella, iam Catullus obdurat,
nec te requiret nec rogabit invitam.
at tu dolebis, cum rogaberis nulla.
scelestas, vae te, quae tibi manet vita? 15
quis nunc te adibit? cui videberis bella?
quem nunc amabis? cuius esse diceris?
quem basiabis? cui labella mordebis?
at tu, Catulle, destinatus obdura.

Catullus in love

XI. ad Furium et Aurelium

Furi et Aureli comites Catulli,
sive in extremos penetrabit Indos,
litus ut longe resonante Eoa
 tunditur unda,
sive in Hyrcanos Arabesve molles, 5
seu Sagas sagittiferosve Parthos,
sive quae septemgeminus colorat
 aequora Nilus,
sive trans altas gradietur Alpes, 10
Caesaris visens monimenta magni,
Gallicum Rhenum horrible aequor ulti-
 mosque Britannos,
omnia haec, quaecumque feret voluntas
caelitum, temptare simul parati,
pauca nuntiate meae puellae 15
 non bona dicta.
cum suis vivat valeatque moechis,
quos simul complexa tenet trecentos,
nullum amans vere, sed identidem omnium
 ilia rumpens; 20
nec meum respectet, ut ante, amorem,
qui illius culpa cecidit velut prati
ultimi flos, praetereunte postquam
 tactus aratro est.

Catullus' poetic range

XIII. ad Fabullum

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
paucis, si tibi di favent, diebus,
si tecum attuleris bonam atque magnam
cenam, non sine candida puella
et vino et sale et omnibus cachinnis. 5
haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
cenabis bene; nam tui Catulli
plenus sacculus est aranearum.
sed contra accipies meros amores
seu quid suavius elegantiusve est: 10
nam unguentum dabo, quod meae puellae
donarunt Veneres Cupidinesque,
quod tu cum olfacies, deos rogabis,
totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

XXXI. ad Sirmium insulam

Paene insularum, Sirmio, insularumque
ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
marique vasto fert uterque Neptunus,
quam te libenter quamque laetus in viso,
vix mi ipse credens Thuniam atque Bithunos 5
liquisse campos et videre te in tuto.
o quid solutis est beatius curis,
cum mens onus reponit, ac peregrino
labore fessi venimus larem ad nostrum,
desideratoque acquiescimus lecto? 10
hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude
gaudente, vosque, o Lydiae lacus undae,
ridete quidquid est domi cachinnorum.

CI. ad inferias

Multas per gentes et multa per aequora vectus
advenio has miseras, frater, ad inferias,
ut te postremo donarem munere mortis
et mutam nequiquam alloquerer cinerem.
quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum. 5
heu miser indigne frater adempte mihi,
nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
tradita sunt tristi munere ad inferias,
accipe fraterno multum manantia fletu,
atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

